



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 214. Et super filios vestros. v. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

peccata potius, quam super doloribus tuis, quos jam pridē superasti & qui te modo multum oblectant, ob fructum iude toto orbe enatum, sicut olim valde affligebant, gratias ago tibi, pro tam utili doctrina. Fac oblecto me profunde penetrare ex tuę passionis Consideratione malitiam peccatorum, & eorum penitus imbibere horrorem.

§. 214. *Et super filios vestros. v. 28.*

Ecce aliud pulchrum documentum Salvatoris, qui non solum suadet pro se flere, sed & pro aliis propter illorum peccata & ruinas, maxime tamen pro illis, qui orantem concernunt uti sunt domestici, & agnati & amici & alio modo nobis propinquiores sive voluntarie sive necessario.

BOnum verbum, & valde bonum eructavit cor tuum Domine Iesu, cum sic consolaberis lugentes. Hęc enim est vera consolatio, quę affert æternam tranquillitatem.

§. 215. *Quoniam ecce venient dies. v. 29.*

Qui dies 7 utique valde mali, si propter eos magis debemus lugere, quam propter tantam enormem Christi passionem. Hi dies utique sunt dies ultionis sumendę de peccatis propriis. Invitat ergo hic filios & filias Hierusalem ad pœnitentiam, ut venturam præcaveant ultionem, præ fortibus imminente, mirabilem & à sæculis inauditam quam facturi erant tunc primo Titus & Vespasianus in obsidione civitatis Hierusalem, quam ita destruent, ut nec lapis mansurus super lapidem forti exercitu valde, multo tempore, coangustando vndique, tribus aggeribus concludendo eam, & prohibendo introitum & exitum, introductionem victualium & armorum, ut præ angustia famis mulieres proprios filios comedere cogantur & capta civitate turres & muros diruant & cuncta ædificia palatiaque auro fulgentia deiciant ad terram, & cunctos filios & habitantes in ea prosterneant, aliquos occidendo fame, gladio, crucibus aliquos captivando & alios vendendo prelio vili, ut mancipia perpetua, & delicta in Deum factorem suum, & recessum à Deo salutari suo, & provocationem in diis alienis & in abominationibus multis. Denique propter finalem mundi devastationem quam ipse Dominus faciet multo quam Titus potentior ac terribilior.

Domine isti dies satis amari sunt, & bene fecisti nos admonendo contra eos ut à nugis abstineamus, & tempus melius redimamus. Quid retribuam tibi pro fideli admonitione tua? hoc ut quod mones caveam, cavebo.

§. 216.